



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatus Practicus De Casibus Summo Pontifici, Episcopis, Et Praelatis Religionum Reservatis

Kiene, Johann Georg

Constantiae, 1629

1. Homicidium ex proposito aliud est directè, aliud indirectè volitum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42214**

## Caput VII.

*De Homicidio Abortu,  
Percussione parentum,  
& Machinatione  
mortis in Con-  
iugem.*

## Synopsis.

- I. Homicidium voluntarium.
- II Duellum solemne.
- III. Excommunicatio ratione duelli.
- IV. Abortus.
- V. Enormis parentum percussio.
- VI. Machinatio mortis in Coniugem.

I. Homicidium voluntarium  
facto, præcepto, consilio vel con-  
sensu deliberato commissum.

Homicidiū ex proposito com-  
missum

missum, aliud est directè volitum, adeòq; plenè voluntarium, quod ex modo inuasionis aggrauari potest v. g. grauius putatur viatorè à latrone per insidias interfici, aut globo imparatum ad defensionem trahi, veneno peti, quàm pro-uocatum adoriri. Huic æquiparatur causam valdè propinqua ad occisionem v. g. punctim præcordia aut cæsim caput lædere. Aliud est indirectè volitum, scilicet vel in causa, ex qua non raro hominis occisio fuit secuta, aut eam sequi posse existimatur & ab ea non cauetur v. g. ebrietas à viro rixoso non vitatur, cum iam plures rixas sanguinolentas & periculosas ebrius inceperit: vel in effectu, dum illud quod quis posset, ac deberet impedire nō impedit v. g. minister iustitiæ tenetur rixosos amouere, prodere, & negligit cum possit ac debeat:

debeat : iuratus Medicus necessaria ad vitæ consuetudinem media præscribere : venator antequam sclopetū exonerat circumspicere, maximè in eo loco, vbi plerumq; solent homines morari v. g. in sylua ad lignum, vel syluestria pyra, glandes &c. colligendas, tales si omittunt ad quod obligantur & sequitur occisio hominis, aut aliud damnum, illi tanquam indirectè volita imputabuntur. Quapropter etiam qui consulit, præcipit, auxiliatur ad patrandū homicidiū, ratum habet (nomine scio factū) non prohibet, aut impedit, dūm tenetur ac potest, aut confirmat: verè ac propriè homicida, & irregularis efficitur, si reapse hominis occisio sequatur. *Iuxta Cap. 6. l. 5. Decret tit. 12. de homicidio voluntarie vel causali §. Clericos. Navar. c. 27. n. 51.* Porro homicidium ità voluntarium tam charitati, quàm iustitiæ

stitiæ contrarium iure civili capitis  
pœnâ, canonico, excommunica-  
tione non latæ, sed ferendæ sen-  
tentiæ vindicatur (adeoque qui ho-  
micidium patrauit in rixa non est  
statim excludendus ab ingressu Ec-  
clesiæ donec ab Ordinario excom-  
municetur) nisi pœnitentiæ satis-  
factione diluatur, *iuxta Cap. Itaq;*  
*24. q. 3.* quod idem ibidem de fal-  
sis testibus statuitur, vt nimirum  
nec homicidæ nec falsi testes ipso  
facto sint excommunicati, & irre-  
gularitatem adnexam habet, cui-  
us dispensatio quantumuis sit  
occulta, negatur Episcopis. *in*  
*Conc. Trid. sess. 24. c. 5.* & excipi-  
tur in omnibus priuilegiis. *Aui-*  
*la p. 6. f. 2. dub. 1. de Irregulari-*  
*sate.*

II. Longè aliter sentiendum est  
de duello, quod præterquàm iuri  
naturali aduersetur, sub excom-  
municatione ipso facto incurredâ,  
& qui-